

calumnia non mediocriter illius animum turbavit : & quum aliquandiu indignitate rei defixus stetisset , cogitaretque interim secum & quo pignore Venetam fidem sociis probare posset , confestim publico edicto iussit tabulas ex singulis navium carinis revelli : alii clavos & alia remigii instrumenta adempta scribunt . Quæ omnia , quum ad Varinundi Antistitis & aliorum ducum conspectum afferri iussisset : *Audito* , inquit , *socii* , *Venetam fidem apud vos in suspicionem venisse* , *atque desertores nos pro sociis fortissimis haberi cœpisse* . *Sed non tam levibus momentis pendet nostra fides* , *ut eam vobis* , *pro quibus omnia paratissimi sumus subire pericula* , *diutius suspectam esse patiamur* . *Accipite* , inquit , *certa nostræ constantiæ pignora* ; atque cum his instrumenta navibus adempta ad illorum pedes constituit . *Habetis* , inquit , *puto & tu Varinunde & alii* , *cur jam nobis tuto salutem vestram credere possitis* : *quanquam vulgo prædicari audio* , *hominum ingenia ante omnia æstimari oportere* . *Verum ne ullam obtrectandi occasionem cuiquam relinqueremus* , placuit ita efficere , ut aperte intelligeretis , eundem , qui & vobis , *Venetis esse animum* . *Restat ut pari studio pergamus urbem oppugnare* : *qua recepta* , spero , *brevi omnem Syriam nostris armis concessuram* . Laudata Principis & Venetorum fides : omnes uno ore eos extollere , fidos socios Venetos , optimosque bellatores vocare . Confirmatis in hunc modum animis , quum aliquanto attentiore studio obsidio continuaretur , tradunt rem novam in castris accidisse , & quam pro miraculo ignarum vulgus audire possit . Columbam tabellarii vice fungentem , ex castris Dachinis , Regis Damasceni , in Tyrriorum subsidium ingentes copias trahentis , nunciatum est ab iis , qui earum rerum periti id forte ex specula observabant , adventare . Tum vero expectato illius supra castra volatu , sublato repente ab omnibus clamore , columbam consternatam concidisse . Et quia ex literis , quæ columbæ pedibus erant alligatæ , compertum est , Dachinem Regem magnopere Tyrios hortari , *ut forti animo essent* , *se intra paucos dies cum ingentibus copiis affuturum* , tum fore , *ut cæsis hostibus ipsi obsidione continuo levarentur* : movit ea res non mediocriter Principum animos :

appa-

*Exemplum
memorabile
de columba
tabellarii
vice fun-
gente .*